Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2427
Quelle:
Copyright:

Diſtichon iſtud legitur in prolixiore de Evangeliſtis Elegia *Hildeberti* Ep. *Cenomanenſ.* edit. *opp. Pariſ.* 1708. *col.* 1318. f. non vere ſequens:

Tropologia Eorundem.

Trinum ſcribit auis. et lucas ſanctificatum.
Marcus ſurgentem. matheus uirgine natum.

Genera ignis corporei.

Triplex corporei ſpecies nobis datur ignis.
Terreus. ethereus metuendus thartareusque.
Urit thartareus. nec lucet. lucet et urit
Terreus. ethereus rutilans lucetque nec urit.

Reliqua commemorari vix merentur.

V. *fol.* 41. *De ſacramento altaris poſt tranſitum iordanis et quod tria ſunt inſtrumenta rationalis creature.* Cave, putes rem eſſe de Euchariſtia. *Sacramentum Altaris* Scriptori noſtro allegorica Expoſitio eſt Altaris illius lapidei, quod Filii Iſrael *Deut.* C. XXVII. v. 4. juſſi ſunt poſt Iordanis tranſitum de lapidibus, quos ferrum non tetigit, erigere. Praemiſſo itaque hoc *Deut.* loco ſic incipit: *Breue capitulum recitatione uerborum. ſed ualde prolixum continencia ſacramentorum nobis proponitur diſcutiendum. in cuius diſcuſſione quantum ipſe conicere potui. ſubtilius indaganti. conſideranda* decem *occurrunt. Quorum* primum *eſt. noſſe que ſint inſtrumenta quibus altare edificetur. preſertim cum uniuerſa probibeantur ferramenta.* Secundum. *quid ſignificet ipſius altaris edificatio.* Tercium. *qui ſint lapides unde edificandum eſt.* Quartum. *quid ſibi uelit ferrei per eos tactus probibicio.* Quintum. *quid ſit holocauſtum.* Sextum. *quid ſit hoſtia pacifica.* Septimum. *que oblatio utrorumque.* Octauum. *quid ſignificet fluuius iordanis.* Nonum. *qualiter per ipſum tranſeundum ſit.* Decimum *que ſit cauſa finalis. i. utilitas tranſitus eius.* mox alteram Tituli partem, ſeu *tria inſtrumenta rationalis creature* explicat: Primum *eſt cordis directio.* Secundum *corporis deiectio.* Tercium *vero mentis erectio.* Ex his facile de Autoris methodo, operisque merito ſtatues, quod paſſim verſiculis inſperſum eſt. Ita ſtatim p. 2. legis, Apoſtolos quaerentes:

Omnibus exutos nos, et tua iuſſa ſecutos.
Que maneat merces. dic rex qui cuncta choerces.

Et